



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**IVRIS CANONICI|| SEV PONTIFICII|| PARTITIONES,||**

**Grégoire, Pierre**

**[Frankfurt], 1595**

**VD16 G 2996**

9 De sacramento eucharistiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63677)

**c** ut inter baptizatum & leuantem; inter filios & uxore leuantis ante cognitam inter suscipientem & patrem & matrem, ante cognitam suscepti inter presbyterum baptizatum eiusque filios etiam ante presbyteratum susceptos, & baptizatum, patrem matremque baptizatum. cap. 1. de cogna. spirita. in Sex. libr. 4. tit. 3. inter filios baptizantis seu leuantis & leuantum. cap. 1. 3. & fin. & cap. ita quos, de cognat. spirita. lib. 4. Decretal.

**d** cap. 1. §. ex confirmatione, de cognatio spirita. in Sex.

**e** cap. fin. de cognatione spiritali, in Sext.

**f** cap. per catechismum 2. eod. tit. de cognat. spirita. in Sex. Catechismus dicitur, & catechesis *κατηχησις*, instructio rerum sacramentorum, que solita erat tradi verbo tenue venientibus ad fidem Christianam, antequam ad baptismum admittèrentur. *ἀπὸ τοῦ κηρύττειν*, quod est vna voce instruere. Unde exstant Cyrilli Hierosolymitani Episcopi catecheses illuminationes & mystagogica. Censentur & catecheses proprie institutio priorum rudimentorum cuiusque scientia ex Porphyrio in princip. quest. Homer. Inde catechumenos *κατηχημένους*, qui nodum sacris est initiatus, sed adhuc imbuitur elementis religionis.

## DE SACRAMENTO Eucharistiæ.

### TITVLVS NONVS.

**a** De hoc agitur, de consecrat. distincti. 2. ca. sancta Romana. §. ceterum 15. dist. titulo de celebratio. Missarum, & Sacramento Eucharistia. lib. 3. Decretal. tit. 4. in Clementinis lib. 3. tit. 14. Nouella 38. ut in priuatis domibus sacra mysteria non fiant Iustiniani & Nouella 15. Leonis, apud nos, lib. 2. Syntagm. iur. vniuersi. cap. 6.

### C A P. I.

#### Continuatio.

**p**ostquam baptizati in ordinem Christianorum, admissi, & Ecclesiæ membra facti, inque illo gradu per sacrum chrisma, robore ad pugnam spiritualem ineundam

**A** contra aduersantia suscepto, confirmati fuerint, operæ pretiū erit eisdem quoque de cibo supercœlesti, & viatico prospicere, quo interius confirmentur: ne deficient in pugna, & ut omni ex parte armati incedant. Quare tertium dedimus in his institutionibus locum sacratissimæ Eucharistiæ, tanquam vero cibo viatorum, & peregrinantium in hoc mundo, veroque panis cœlesti, qui dat vitam æternam. **b** Quem admodum etiam manna datū est filiis Israel, post transitum maris rubri, submersis Egyptiis: **c** sic & corpus Domini, panis qui de cœlo descendit, datur baptizatis & confirmatis, pugnantibus maiori cum virtute contra mortem æternam. **d**

### S C H O L I A.

**a** Iuxta Psalm. 103. ibi: Et panis cor hominis confirmet.

**b** Sicut scriptum D. Ioann. cap. 6. & predictum. Exod. 10. c. & Sapien. 16. ibi, Panem de cœlo præstitisti eis.

**c** Vide historiam Moysi. c. 16. Gen. vers. 15.

**d** Diui Ioan. c. 6. vers. 58. Non sicut manducauerunt patres vestri manna in deserto & mortui sunt, qui māducat hunc panem viuet in æternum. Vide Guiliel. Durandum, lib. 4. Rationalis diuinorum officiorum. cap. 41.

### C A P V T I I.

#### Quid hoc Sacramentum.

**P**anis & calicis sacramentum Græcis *εὐχαριστία* dicitur: Latinis, bona gratia. Quamobrè Eucharistia est sacramentum, in quo post consecrationem sub visibilibus transubstantiatis speciebus, est verum sacrosanctum viuum Domini nostri Iesu Christi corpus & sanguis. **b**

### S C H O L I A.

**a** can. multi 84. §. sunt autem sacramenta, 1. questio. 1. nos de nominibus huius sacramenti & de sacramento. libr. 3. Syntagm. cap. 6. Cauendum tamen ab erroribus

Begomilorum, qui ut scribit Euthymius in Panoplia. part. 2. titul. 2. dicebant Eucharistiam, nihil esse aliud quam pater noster. Cum tamen ibi vere sit corpus Iesu Christi. Distum enim fuit in consecratione, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, &c. D. Matthaei. ca. 26. diuisi Ioan. Euang. c. 6. 1. ad Corint. c. 11.

**b** Probatnr hac finitio tota. ex ca. cum Marthe, de celebratione Missarum. ex capit. 1. §. vna vero, de summa Trinit. & fid. Cathol. dicto can. multi, & can. ante me. 1. q. 1. can. ego Berengarius. de consecratione. distin. 2. Ante consecrationem, species nominantur panis, & vinum mixtū aqua, qua natura formantur. Post consecrationem vero, & post verba sacramentalia prolata, caro & sanguis Christi. can. ante benedictionem, & can. nos autem, de consecrat. distinct. 2. can. corpus Christi, ibid. **c** cum similib.

## CAPVT III.

## Vna Eucharistia.

**V**Nus panis, & vnus corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus. **a**

## SCHOLIA,

**a** D. Paulus. Epist. 1. ad Cor. cap. 10.

## CAPVT IIII.

**1** De materia Sacramenti Eucharistiae, & qua in illo sunt.

**M**ateria huius sacramenti ¶ est panis, & vinum aqua mixtū. Quorum species in sacrosanctum Domini nostri Iesu Christi corpus & sanguine transsubstantiantur benedictione conueniente. **a** Panis in Ecclesia Occidentali, & Catholica est triticeus, **b** Azymus seu sine fermento. **c** Vinum, vitis. **d** Sunt autem tria in hoc Sacramento subtiliter distinguenda, vt discreta, **e** forma visibilis, veritas corporis, & virtus spiritalis. Forma, panis & vini est: veritas, carnis & sanguinis: virtus vnitatis

& caritatis. Primum est sacramentum **f** & non res. Secundum est sacramentum & res. **g** Tertium res est, & non sacramentum. Sed primum est sacramentum geminae rei. **h** Secundum sacramentum vnus, & alterius rei existit. Tertium est res gemini sacramenti. **k**

## SCHOLIA.

**a** 1. ad Corint. 11. can. 1. 2. 3. 4. 5. can. in sacramento, can. cum omne, can. in calice, de consecrat. dist. 2. cap. cum Marthe. 6. c. in quadam. 8. c. pernitiosus, 13. de celebrat. Missar. Concl. Tridentin. Sess. 13. cap. 1. & sequen. Exiuit ex latere domini nostri Iesu Christi sanguis verus & aqua. Ioan. cap. 19. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, id est anima, sanguis & aqua. Et hi tres vnus sunt. 1. epistola D. Ioan. cap. 5. 2. Aqua & vinum significant vnā hypostasin duarum naturarum in Christo. Cyprian. libr. 2. Epistol. 2. epist. 3. can. sic in sanctificando calicem, & consecrat. distin. 4. cap. cum Marthe. §. quasi iusti. de celebrat. Missa. Ideo & lapsi Armenii heretici, qui cum illam hypostasin negauerint, aquam vino non miscent. Nicephor. Calix. lib. 18. cap. 52. Reprobatus & Tacianus hereticus, qui in his mysteriis, sola aqua utebatur. Epiphanius tomo 3. libr. 1. aduersus hereses, heresi 45. Eodem modo & reprobat Eucharistia, vt idem scribit tom. 1. lib. 2. heres. 47. Dixerūt tamen quidam consecrationem in pane fermentato vere corpus domini consecrare, sed Latinos, id facientes grauius peccare, vt Scotus in 4. sententia. dist. 11. Unde exorta questio, num sacerdos virtute verborū consecrationis quantumcunque materiā panis transsubstantiare in corpus Christi possit. Nam secundum Alexandrum. in 4. sentent. tractatu de Eucharistia, non potest. Quia intentio institutionis sacramenti & Ecclesiae fuit, vt sumeretur per illa verba, Accipite & comedite, & pro vilitate Ecclesiae, generalis

- nerali vel speciali. Ideo ait non fieri consecrationem, ut ne ea esset ludibrio, vel ad maleficia. At tamen tenet contrarium D. Thomas in 4. sent. dist. 11. Et consec. Angelus Clauasius in summa in verbo Eucharistia. 1. nu. 25. sequitur Alexand. ego quoque subscriberem.
- b** can. non oportet 1. Et seq. can. Sacramento, de consecrat. dist. 5. Fuerunt quadam in hac causa funesta et abominabilia Montianorum sacramenta, qui de infans cuiusdam anniculi sanguine, quem de toto eius corpore, minutis quibusdam punctiōibus exprimebant, quasi Eucharistiam suam fecisse dicuntur, miscentes farina, ex qua panem faciebant. Apud quos si puer, qui eodem punctus fuisse, superuixisset, habebatur pro martyre proq. magno sacerdote, quos detestatur et merito D. Hieron. Vide beatum Rhenanum aduers. Praxeam. Silentio etiā pratero impudicā et detestabilem impietatem aliterius mixtionis turpissimā cō sacrosanctā Eucharistia, de qua Epiphanius, Tom. 2. lib. 1. hares. 68.
- c** Sic in c. fin. de Celebrat. Missar. priuatur officio et beneficio Sacerdos, qui consecrasset in pane fermentato, et in cypho ligneo, et sine igne. Ecclesia Orientalis, tamen in fermentato consecrat. Niceph. lib. 3. c. 28. Ruiheni quoque seu Moscoonia, ut ait Sigismundus Liber Baro in Comentar. de D. rebus Mosconiticis. Caterum dominus Iesus, cum instituit hoc Sacramentum. D. Matthai. c. 26. dicit Luca 22. D. Ioannis. c. 18. quo tempore mandauit similiter consecrare, Pasche diem agebat, quo die nisi azymi panes comedi non poterant. Leuit. 23. Deuter. 16. Sicque recte solis Ecclesia Catholica in azymis consecrat.
- d** Ita et instituit fieri Dominus Iesus. Luc. cap. 22. Quod si sacerdotes sint in regione, ubi vinum haberi non potest, possunt ex dispensatione summi Pontificis conficere corpus Domini, ommissa cōfectione vel cōsecratione separatim sanguinis. Angelus Clauasius in summa, in verbo Eucharistia. 1. n. 10.
- A e** Hac sunt verba cap. cum Mariba, vers. distinguendum, de celebratione Missarum.
- f** Id est sacra rei signum. can. sacrificium, de consecr. dist. 2.
- g** can. hoc est quod dicimus, et can. dupliciter. de consecr. dist. 2.
- h** Scilicet forma panis et vini, est sacramentum geminans, nempe, corporis et sanguinis Christi, et unitatis, et ita est figuratum.
- B i** Id est, corpus Christi, est sacramentum scilicet unitatis, et est res sacramenti scilicet specierum panis et vini, et ita est signans et signatum.
- k** Scilicet unitas est res sine signatum, gemini sacramenti, id est, duorum sacramentorum precedētium, nempe corporis Christi, quod est sacramentum unitatis, et specierum panis et vini, que sunt sacramentum corporis Christi. Et ita istud tertium, est tantum signatum: et illa duo sacramenta, panis et vinum, et corpus Christi. Primum vero est sacramentum signans. Secundum, est signans et signatum. Tertium, est signatum tantum.

## CAPVT V.

**i** Institutio Sacramenti, et qui hoc Sacramentum conficiant et administrent, seu de ministris Eucharistia.

**I**nstitutum fuit primū hoc sacramentum a Domino nostro Iesu Christo, a qui et dedit Apostolis potestatem conficiendi per verba illa, hoc facite. **b** Et nunc tantum sacerdos conficit vel consecrat Eucharistiam. **c** Isque debet distribuere consecratam, **d** nisi necessitas urgeat. Quo casu et Diaconus presentē præsbytero, et ab eo iussus erogare seu distribuere potest. **e** Quare et sacerdos parochialis paratam semper debet habere Eucharistiam propter infirmantes. **f** Non debet tamen de manu sacerdotis hæretici accipi. **g** At de manu alterius sacerdotis, quantumuis delinquentis, quāuis ab Ecclesia to-

lerantur, si depositus non est a ministerio, A  
 nemo dubitare debet accipere Eucharistia  
 communionem: quia per iniquitatem  
 ministri, non polluitur sacramenti puritas  
 & integritas. *b* Prohibetur etiam regula-  
 ribus Eucharistia sacramentum ministra-  
 re, nisi habita a presbytero parochiali li-  
 centia speciali, idque sub poena excommu-  
 nicationis, ipso facto incurrenda, nec ab-  
 soluenda ab alio, quam a summo Pon-  
 tifice.

## S C H O L I A.

- a* DD. *Matthaei*, cap. 26. vers. 26. & *Mar-*  
*ci* 14. *Luc.* 22. 1. *ad Corinth.* 11. *Clemen.*  
 1. §. *transiturus*, de reliquiis & veneratio-  
 Sanctorum. lib. 3. tit. 16.  
*b* 1. *ad Corinth.* c. 11. vers. 24. & 25.  
*c* cap. 1. §. *vna*, de summa Trinitat. & Fide  
 Cathol. can. perlectis. §. *ad presbyteru* 25.  
 distinct.  
*d* can. *peruenit*, de consecrat. distinct. 2. vide  
 Concil. Tridentinu. Sess. 7. de sacramen-  
 tis in genere. c. 10.  
*e* can. *presente*, & can. *diaconos*, 93. dist. An-  
 tiquitus tamen communicantes Eucharis-  
 tia propriis manibus eam accipiebant ali-  
 quando. Vide *Nicephorum*, *Calixt.* lib. 6.  
 cap. 9. & lib. 13. cap. 7. sed prohibitum id  
 postea. can. *peruenit*, de Consec. dist. 1.  
*f* can. *presbyter*, de consecrat. distinct. 2.  
*g* can. *coepit*, 23. questio. 1. & si scienter acce-  
 perit poenitere debet. ca. *si quis dederit* 24.  
 quest. 1.  
*h* can. *fin.* 15. quest. *fin.* cap. *fin.* de cohabitac.  
 clericorum & mulier.  
*i* *Clementina prima*, de Privileg.

## C A P V T V I.

## Forma Consecrationis.

**F**orma consecrandi tradita, etiam a do-  
 mino, a in pane; *Hoc est corpus*; & vini  
 consecratione. *Hic est calix sanguinis mei,*  
*noni & aeterni testamenti, qui pro vobis & pro*  
*multis effundetur in remissionem peccatoru.* *b*  
 Quibus prolatis, statim fit transubstan-  
 tiatio, virtute divina. *g*

## S C H O L I A.

- a* can. *quia corpus*, de consecrat. dist. 2. cc. di-  
 ctis DD. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22.  
 1. *ad Corinth.* 11. c. cum *Martha*, de cele-  
 brat. Missar. can. *quid sit sanguis agni*, de  
 consecrat. dist. 2.  
*b* Vide *Astrensem* in *summa*. lib. 4. tit. 10.  
 vers. circa secundum.  
*B* *c* dicto can. *quia corpus*, can. *panis est*, can. *ro*  
*vera*, can. *quid sit*, de consecrat. distinct. 2.  
 Nos copiose de transubstantiatione, seu  
 transmutatione substantia panis & vini  
 post consecrationis verba in corpus & san-  
 guinem Domini nostri Iesu Christi in Sa-  
 cramento Eucharistia, tractamus, tom. 3.  
 commentariorum in Syntag. artis mirabi-  
 lis, lib. de Deo. c. 3.

## C A P V T V I I.

- C** 1 *Qui communicent Eucharistia: sacer-*  
*dos primum.*  
 2 *Missas quot dicere in die sacerdos possit,*  
 3 *Communicare & Christiani debent.*  
 4 *Sub vna specie.*  
 5 *Corpus viuum Christi in Eucharistia.*

**S**vmi ¶ debet hoc Sacramentum a sacer-  
 dote Missam celebrante, a quam sine  
 necessitate superueniente non potuerit per-  
 ficere, alius presbyter eius loco, quod su-  
 pererit, poterit implere. *b*

Potest autem ¶ sacerdos singulis die-  
 bus, dummodo sit ieiunus, & vnam tantum  
 Missam, excepto die Natali Domini, in  
 quo, sicut & necessitate aliqua suadente,  
 duas dicere potest missas.

Tenetur & quilibet Christianus, ¶ dum  
 peruenerit ad annos discretionis, saltem  
 semel in anno legitime confessus, *f* ieiun-  
 us *g* sumere Eucharistiam, nisi de consi-  
 lio sui presbyteri abstineat. *h* Saepius acci-  
 pere laudabile est: quotidie vero in laicis,  
 nec laudandum, nec vituperandum. *i*

Sub vtraq; ¶ specie corporis & sangui-  
 nis sacerdos celebrans & consecrans, com-  
 municat: *k* sub vna sola specie panis, in qua  
 Christus viuus totus cu sanguine, laicus *l*

In singulis hostiis consecratis, † & in A  
singulis portionibus Eucharistiae diuisis,  
Christus manet integer, & manducatione  
non diuiditur. *m* Estque post consecratio-  
nem in Eucharistia idem viuum corpus  
Christi, quod natum est ex beatissima Ma-  
ria virgine, quod passum, crucifixū, quod  
resurrexit, & ascendit in cœlum. *n* Quare si  
quis negauerit in venerabili sacramento  
Eucharistiae sub vna quaque specie, & sub  
singulis cuiusque speciei partibus separa- B  
tione facta, totū Christi corpus contineri,  
anathema sit. *o*

## S C H O L I A.

- a *can. relatum. de consecrat. distin. 2. quoties  
celebrat, toties sumat. can. comperimus. &  
can. tribus. de consecrat. distin. 2. sacer-  
dos consecrās & nō communicans per an-  
num a celebratione suspenditur. can. rela-  
tum, de consecrat. dist. 2.*
- b *can. nihil contra. 16. sub 7. questione pri-  
ma. viden. Innocent. ad c. presbyter. de Sa-  
cra. non iterand.*
- c *dict. can. nihil 7. questio. 1. can. liquido. de  
consecr. dist. 2. can. tribus. ead. Quare si sa-  
cerdos conficeret corpus Christi post cibum  
sumum, male faceret, tamen conficeret.  
dict. can. liquido. glo. fin. ad caput, ex par-  
te, de celebratione Missarum.*
- d *cap. consuluisti. 3. cap. te referente, 12. cap.  
ex parte vestra. c. 5. de celebra. Missarum.  
can. nocte, & can. sufficit. de consecrat. di-  
stin. 1. Glo. in dict. capit. consuluisti, ad-  
fert rationes, cur in Natiuitate Domini  
tres Missae dicantur: quod per illas repre-  
sententur tres status Ecclesiae, scilicet ante  
legem, in lege, & gratiae. idem gloss. asserit.  
in can. nocte, de consecrat. distin. 1. Ratio  
autem, cur vnā sufficiat celebrare, ponitur  
in can. sufficit. de consecr. distin. quia Chri- E  
stus semel passus est, & totum mundum  
redemit, & quod valde felix sit, qui vnā  
digne celebrare potest. idem in dict. cap. te  
referente, de celebr. Miss. Notat glossa au-  
tem in dict. cap. sufficit, ad verba. Et alte-*

ram, quod extra diem Natiuitatis Domi-  
ni, nō licet tres missas dicere, etiam in cau-  
sa necessitatis, sed tantum alteram, id est,  
duas. Et in necessitate etiam permitti alte-  
ram dicere, dum modo post sumtionē Eu-  
charistiae in prima, nō sumserit vinum ab-  
lutionis digitorum, non aliter iuxta cap. ex  
parte vestra. 5. de celebrat. Missarum, vbi  
glossa singularis, ut in dict. can. sufficit, do-  
cet, sumtum vinum ablutionis digitorum,  
reddere non ieiunum sacerdotem, neque  
ideo, quod ablutio admisceatur aliquibus  
reliquis sanguinis dominici, fieri immif-  
sum vinum sanguis Domini. Alioquin e-  
nim, quemadmodum sumtio corporis &  
sanguinis Domini in prima Missa, non  
frangit ieiunium, sic non frangeret su-  
matio ablutionis, si immixtum fieret san-  
guis, quia sanguini admisceatur. Necessi-  
tas porro celebrandi alteram Missam, po-  
test colligi ex dict. cap. sufficit, si celebraretur  
pro defunctis. Prima celebratur pro viuīs,  
puta in defectum sacerdotis, ut inquit glo.  
ad cap. consuluisti ad verbum, necessita-  
tis, si celebrauit de die, & postea moriatur  
aliquis. Item & erit alia causa honestatis,  
si Missa dicta de die superueniat aliqua  
magna persona, quae velit Missam audire,  
& sine cuius auditione nō debet die transi-  
re, qualis est Episcopus. in cap. fin. de Pri-  
uileg. in Sext. Erit & alia necessitas dua-  
rum missarum, si sint duae Ecclesiae, & sit  
tantum vnus sacerdos. Propter enim ino-  
piam presbyteri, vnus in duabus Ecclesiis  
celebrare missam poterit, & in duabus ec-  
clesiis conscribi. in can. 1. 21. quast. 1. pro-  
ter unionē, ob paupertatem Ecclesiarum.  
can. vnio. 10. quastio. 3. capit. dudum, de  
Electio. & sic notat expresse in hoc ca-  
su Angelus Clauas, in summa, ad verbum,  
Missae, num. 46. in 4. casu, vide Hostiens.  
ad dict. capit. consuluisti, de celebratione  
Missarum.

e *cap. omnis viriusque sexus, de penit. & re-  
missio. Concil. Tridentin. Sess. 21. cap. 3.  
& can. 3.*

- f** *Iuxta illud, Probet se ipsum homo, & sic A*  
de pane hoc edat, & c. 1. ad Corinth. 11.  
Sic & a concubitu uxoris etiam ante ab-  
stinendum per 3. aut 4. aut octo dies, cano.  
omnis homo, de consecr. 4. dist. 2. can. scia-  
tis, cum seqq. 33. q. 4. Quod dictum est ex  
consilio, non ex praecepto, propter honesta-  
tem sacramenti, ut notat gl. ad d. c. sciat, is,  
ad verba, non potest, & glo. 1. ad d. can.  
omnis homo, maxime si quis cōmisceatur  
uxori liberorum procreandorū causa. **B**
- g** Ieiunus debet esse, ad est, qui nihil sumserit  
post mediam noctem diei praeteriti, can. li-  
quido, de consecr. dist. 2. can. nihil. 7. q.  
1. can. si quis de corpore cū. octo. 6. q. 6. seq.  
can. ut ieiuni, de consecr. dist. 5. Sacramēta  
a ieiunis sunt recipienda. ca. sacramēta, de  
consecr. dist. 1. can. quod a patribus. 75.  
dist. cum similibus. cap. literas de temporib-  
us ordinat. Nisi sit causa necessitatis & **C**  
periculi mortis seu infirmitatis, dum du-  
bitatur, ne quis ante communionem ieiun-  
iam praeveniatur morte, cano. praebyter, de  
consecr. dist. 2. abrogato, can. sacramen-  
ta. de consecr. dist. 1.
- h** dist. cap. omnis viriisque sexus, de Pœnit.  
& remissio. Propter necessitatem imponit  
Ecclesia saltem semel cōmunionem in Pa-  
schat accipiendi, nisi si quod impedimen-  
tum legitimum excuset, idque ad minus, **D**  
alioquin suadet Ecclesia, ut saepius vel ter,  
in Paschate, Pentecoste, & Natiuitate do-  
mini, Christianus ad communionem ac-  
cedat, can. & si nō frequentius, can. si quis  
intra. de consecr. dist. 2.
- i** can. quotidie, & can. virum. de consecr.  
dist. 2.
- k** Sacerdos corpus Christi sumens, & nō san-  
guinem, grande sacrilegium committit,  
can. comperimus. de consecr. dist. 2.
- l** In Concilio Tridentino, Sessio. 21. cap. 1. &  
3. & can. 2. & in Sessio. 13. capit. 3. &  
can. 3. can. qui manducat, can. singul. de  
consecr. dist. 2. Vide quae fuse tradidi,  
tom. 3. commentariorum artis mirabilis,  
lib. de Deo. cap. 33. numer. 15. & 16. ubi  
rationes. At in concil. Constant. Sessio. 13.  
Basilicensi. Sessio. 30. permissum aliquan-  
do Boemis sub utraque specie communi-  
care, can. tamen lege, ne diuersum usum  
improbarent, in Concilio Basiliensi, & ut  
ceteris Catholicis affectionibus adhaereret,  
scribit Martinus Chromerus. lib. 21. de  
de Re. Poloni. Et id permissum Mosco-  
uitis in die Pasche. Illi etiam sacramētum  
porrignunt infirmis & pueris per guttū vi-  
ni, consecratum in specie vini, ut scribit Si-  
gismundus Liber Baro. lib. de reb. Mo-  
sconiticis. Regibus Gallia, dū inun-  
guntur, permissum tradunt, ut sub utraque specie  
communicent, tanquam sacrosancti reges,  
& qui accedat ad privilegium in hoc sacer-  
dotale. In Concilio Carthagenensi 4. cano.  
76. Videtur quoque quodammodo permis-  
sum concedere egrotis Eucharistia in san-  
guine. dicitur enim ibi & in capit. 8. is qui  
pœnitentiam. 26. quest. 6. Statuitur de e-  
grotis pœnitentiam petentibus, & qui post  
pœnitentiam obmutuerūt, vel in phrenesim in-  
ciderint: ut si continuo credantur morituri,  
& recōcilsentur per manus impositionem,  
& infundatur ori eorum Eucharistia. In-  
fusio quippe demonstrat liquorem, qui in  
sanguine intelligi potest. Non enim di-  
cendum est, panem intinctū sanguini por-  
rigendum esse, cum id fuerit prohibitum.  
canon. omni. de consecr. dist. 2.
- m** can. qui manducat, & can. ubi, de consecr.  
dist. 2.
- n** can. omnia, & can. prima quidem, de con-  
secr. dist. 2.
- o** in Concilio Tridentino Sessio. 13. cap. 3.  
& in decretis. can. 3. & in Sessio. 21. de  
commun. ca. 1. & 3. & in concilio Floren-  
tino. in Decretis Eugeni contra Armenos.
- E** CAP. VIII.
- i** Quibus denegatur Cōmuniō Eucharistia.
- D**enegatur aliquando & certo tempo-  
re † Eucharistiae communiō iis, qui  
publice grauitate deliquerūt, a raptoribus

rerum Ecclesie, *b* nauseam vel vomitum A patientibus, *c* pollutis nocte externa ex nimia crapula, vel cogitatione immunda, *d* infidelibus, quia, cum in Ecclesia non sint, non possunt sacramentaliter accipere, *e* notorie impœnitentibus, *f* magis & histrionibus, quandiu in artis improbitate perseverauerint, *g* excōmunicatis interdicitivè, *h* hæreticis. At non potest denegari occultis peccatoribus, quamvis sint cognita sacerdote, ministro, a quo publice petunt B communionem: *k* quanquam verum sit, eum, qui indigne ad hoc sacramentum accedit, iudicium sibi manducare, quod non diiudicet corpus domini. Pœnitentibus etiã ex gravissimis sceleribus, quamquam denegetur in vita Eucharistia, tamen sub mortem, seu in articulo mortis, nõ est neganda petentibus, *m* neque illis, qui postquam petierint, & antequam acciperent, statim obmutuerint, vel in phrenesim inciderint, si modo alias retinere possint, & adhibetur fides illis, qui audierint eos, petiisse, antequã perdidierint loquelam aut mentem; *n* neque his, qui in patibulis suspenduntur, si cõfessi sint & pœnituerint, *o* nec excōmunicatis satisfaciendis *p* denegatur.

## S C H O L I A.

- a* can. pro dilectione, de consecra. dist. 2. can. D placuerit. 23. q. 5.  
*b* can. indigne. 12. q. 2. ii enim a sacramentis Ecclesie suspensi sunt, can. quisquis 7. q. 4.  
*c* can. si quis per ebrietatem, de consecrat. distinct. 2.  
*d* can. testamentum, & can. non est. dist. 6.  
*e* can. quia passus, can. quid est, can. dupliciter. can. tribus gradibus. §. precipimus, de consecrat. distinct. 2.  
*f* Dicto can. pro dilectione, de consecr. dist. 2. cap. placuit. 23. q. 5. vide D. Thomam, in 4. sent. 9. 5.  
*g* Cyprianus, lib. 1. Epistolarum, epistol. 10. dist. can. pro dilectione, de consecrat. dist. 2. cap. 2. de sortileg. nisi respicerint histria-

nes & magi, & pœnituerint a vita improba, can. penult. de consecrat. dist. 2. Distin- guitur etiam inter scenicos, seu histriones, ut hi, qui turpibus iocis & verbis ludunt, censeantur summoti ab hoc sacramento im- pœnitentes, ut reprobati maxime, si ita cum larvis in Ecclesia ludos exercent. ca. cum decorè, & de vita & honesta. cler. non au- tem ii, qui honesta exhibent in teatro, & ad mores institutos accommoda, quos audire, non dicitur peccatum mortale, ut notatur in can. donare 86. dist. & in c. cum decorem, ad verbũ, laruatum, de vita & honesta. cleric. imo dicunt, his posse aliquid honeste donari secundum D. Thom. 2. 2. q. 68. artic. 3. vide multa apud nos. lib. 39. Syntagma. c. 5. de spectaculis.

- h* can. si non sunt, de consecr. dist. 2.  
*i* can. penultim. & in causa vicefima quar- ta. quest. 1.  
*k* cap. si sacerdos, de offic. ordin. Datur exem- plum de Iuda communionem, quam Chri- stus ei non negavit, quamvis occultam a- liis, proditoris cogitatione nosset, in can. non prohibeat, & can. sicut Iudas, de con- secrat. dist. 2. can. aduersitas. 8. qua. 1. can. Christus. 1. quest. 1. Si tamẽ sacerdos sciat impœnitentem esse petentem a se, nõ publi- ce, sed priuatim Eucharistiam, denegare ei debet, secundum diuum Thomam, in 4. sen- tentiarum, dist. 9. q. 5. Archiepiscopus Florentinus, in Summa, in titul. de singulis Sacramentis. vers. quibus sint danda.  
*l* Diuus Paul. Epist. 1. ad Corimbios. capi- te undecimo.  
*m* can. pœnitentes. 50. distinct. can. virgines, 27. questio. 1. can. si quis heretica. §. ecce. 1. questio. 1. can. in primis. 2. quest. 1. ca. ac- cusatores. 46. distinct. can. si quis de corpore, 26. quest. 6. pulcerrimum exemplum a- pud Eusebium in historia Ecclesiastica. libr. 5. cap. 14. de Serapione fidei sene, qui diu quidem vixerat inculpata vita, in per- secutione vero ceciderat, nemoque recipere volebat eum ad pœnitentiam, eo, quod idolis sacrificasset: non potuit enim mori,

quin sacramentum Eucharistia ei fuerit A  
ad latum, ita absolutus sub mortem.  
n in cano. his qui poenitentiam. 8. 26. quest.  
6. ex Concil. Carthaginens. 4. cap. 76.  
o can. questum 13. q. 2. cap. 2. de furtis.  
p can. tanta. 86. distin.

## CAP. IX.

## Quidam effectus Eucharistia.

Eucharistia digna sumtio est poenarum  
relaxatio, a & per eam, assumens vnitur B  
Christo, & consequitur vitam æternam. b  
Per eam benedicimur, adscribimur cælo,  
& de visceribus Christi esse censemur, a  
bestiali sensu exuimur. c Sacramentū hoc,  
pietatis est, signum vnitatis, vinculum ca-  
ritatis. d indignè manducantibus, iudicium  
& mors: e salus mentis & corporis digne  
summentibus. f Sunt & deuote festum Eu-  
charistia celebrantibus, & horis canoni- C  
cis & diuinis officiis per totas eius festiui  
octauas, assistentibus, indulgentia con-  
cessa, contritis & cōfessis. Nempe iis, qui  
interfunt officio matutinali centum dies  
venia, qui Missa, totidem: qui primis &  
secundis vespers, totidem: iis qui prima,  
tertia, sexta, nona, horarum g officiis in-  
terfuerunt, pro singulis horis quadragin-  
ta: his vero, qui prædictis officiis per octa-  
uas interfuerint centū dierum indulgentia  
dantur singulis octauarum diebus. h

## SCHOLIA.

- a can. panem de altari, & can. cum omne, de  
consecratione dist. 2.  
b can. Christus panis, & can. quid est Chri-  
stum, can. qui manducat, & can. credere,  
can. commodauit, can. hoc sacramentum,  
can. reuera ista autem esca, can. omnia.  
vers. & cum digne. can. in Christo, de con-  
secrat. dist. 2.  
c can. vtrum 72. de consec. distin. 2.  
d can. hoc sacramentum 63. de consecratio.  
distin. 2.  
e can. sicut Indas 68. de consecrat. dist. 2. 1.  
ad Corinb. 11. demones etiam abigi a do-

mibus ex celebratione Missar. testatur  
D. Augustinus. lib. 2. de Civitate Dei. ca.  
8. Niceph. Calix. lib. 16. ca. 36. Pachime-  
res in Ecclesiasticā Hierarchiam D. Dio-  
nyssi Areop. cap. 3. de Synaxi.

f Scribit Gregorius Nazianzenus, in ora-  
tione in funere patris habita. patrem suum  
sacerdotem, diutina & ardentissima febre  
exhaustum, ab ancilla synaxis tempore a-  
liquando adductum manu in conuentum  
ecclesiasticum, in quo pro more Eucharis-  
tiam, sed paucissimis, & quibus tunc po-  
tuit per morbum verbis consecratam aliis  
& distribuerit, & participauit ipse quoq;  
reuersum ad lectum, ciboque parum ac so-  
mno refectum, melius statim se habuisse, ac  
pristine tandem sanitati ex integro fuisse  
restitutum. Simile quippiam idem recitat  
in oratione in funere sororis habita. Idi-  
psum & refert D. Ambrosius. de fratre suo  
Satyro, in oratione de eius funere.

g cap. 1. de reliquiis & Veneratio, sancto. in  
Extrauag. communibus. Omitto effectus  
alios, qui accedunt ex sacrosancta Eucha-  
ristia perceptione, de quib. sacri patres tra-  
ctant, vt per eam nos vniri Christo, & fie-  
ri diuina natura participes, aliisque præ-  
stantissima hinc nobis aduenire beneficia,  
qua ab illis discas.

DE SACRAMENTO  
poenitentia.

## TITVL. X.

a Tractatur de poenitentia. tit. de poenitentia &  
remissionibus. lib. 5. Decretalium. tit. 38. In Sexto  
Decret. lib. 5. tit. 10. in Clemen. lib. 5. tit. 10. in De-  
cret. de poenitentia, per septem distinct. apud nos.  
lib. 2. Syntag. iur. c. 8.

## CAPVT I.

## Continuatio.

POST explicationem Baptismi, † Con-  
firmationis, & viatici Eucharistia, su-  
perest, vt proxime agamus de remedio, quo  
athleta Christi baptizatus, vnctus, & re-  
fectus,